DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE DOLORE CAPITIS ANTONIUS...

Antonio Facci

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

DOLORE CAPITIS

QUAM

PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA

RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMO AC CELEBERRIMO

CÆSAREO REGIO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

ANTONIUS FACCI

BRIXIENSIS

PATAVII

EX TYP. ANGELI SICCA

1843

504

PATRI MEO

DEFINITIO

Inter tot, quae prostant, doloris definitiones, liceat mihi illam clarissimi Prof. Hartmanni praemittere, quem proxime et brevissime rem tetigisse censeo.

= Dolor est sensus mentem graviter afflictans ex violenta nervorum irritatione. =

Omnis dolor ergo refertur ad mentem, sed procedit ex nervorum affectione, qui nervi substratum adhuc materiale, quamquam subtilissimum et spirituali proximum sistunt.

Dum vero per totum corpus diffusi centrum suum secundum plurimos physiologos in encephalo agnoscunt, causam irritantem et disponentem ex omni corporis parte excipere possunt, et quoad locum innumeros exhibent dolores. His pagellis sit sermo solummodo de morbosa irritatione centri nervorum, encephali quippe, ejusque velamentorum molliorum et duriorum. Quod vero morbus somaticus et psychicus vix ullus sit, cui dolor ille sese non associet, mirandum non videbitur illi, qui dignitatem et naturam totius systematis nervosi, per corpus motum radiantem exercentis, omnem functionem regentis, centrumque in cerebro agno-

scentis rite perpendere voluerit. Dolor ergo capitis ex variis emergens causis variam constituere sinit diagnosim, variam admittit prognosim, variamque exposcit curam.

DIVISIO.

Quoad modum: distinguunt pathologi dolorem capitis obtusum, gravem, lancinantem, constringentem, pungentem, prementem, pulsantem, et alios facilius sentiendos quam describendos.

Quoad sedem: internum et externum, vagum et fixum.

Quoad originem: idiopathicum et sympathicum, nec non symptomaticum; protopathicum et deuteropathicum.

Quoad typum: continuum et remittentem, intermittentem, periodicum.

Quoad decursum: acutum et chronicum.

Ratione exitus: benignum et malignum.

Dolorem recentem atque a causis evidentibus nec nimis violentis provocatum appellat cl. Burserius *cephalalgiam*, inveteratum et pertinaciorem autem *cephalaeam.*

Si modo relatas et alias comparo divisiones, nullae illam lucem et claritatem effundunt super diagnosim, et therapiam feliciorem, qualem spargit dispositio morborum a clarissimo Prof. Hartmann constituta, quam et capitis doloribus adaptare nil obstat.

Secundum hoc systema discedunt:

I. In dolores capitis originis dynamicae, qui viribus vitalibus male affectis proxime debentur.

II. In dolores capitis, qui rationes organicas alienatas accusant. Classis prima dolorum duos refert ordines:

1) Dolores vitae animalis peccantis.

2) Dolores vitae plasticae abnormis.

Qui radicantur in alienata vita animali capitis dolores systema vel nervorum, vel vasorum sanguiferorum a norma aberrans accusant; ergo inde duae emergunt sectiones subordinatae, dum ordo secundus subdivisionem non admittit.

Signa diagnostica simul cum causarum notione.

I. Classis.

Dolores capitis originis dynamicae.

Primus ordo.

Dolores capitis ex peccante vita animali.

Prima sectio.

Dolores capitis ex systemate nervoso a norma abludente.

Dolor, qui pertinet ad hanc sectionem, vel acutus est vel obtusus, terebrans aut distrahens, gravans seu pungens, cum sensu aestus aut glaciei, fixus vel vagus, aeque subito invadens ac evanescens; saepe periodicus; totum caput, vel aliquam ejus partem occupans, et quidem vel latus integrum,

vel dimidium, vel solummodo spatiolum; modo cito evanescit, modo diu perdurat. Affectiones sympathicas facile excitat, imprimis ventriculum et genitalia in consensum trahens.

Dispositi prae ceteris sunt debiliores, graciles, delicati, magis foeminei quam masculini sexus; qui nimis anxie fugiunt influxus nocentes ab extus.

In specie huc numerandos esse puto:

1) *Dolorem capitis febris larvam praeseferentem.*

Saepissime sub hac forma latitat febris intermittens. Dignoscitur typo suo, qui quotidianus plerumque, nihilominus etiam tertianus, imo quartanus esse consuevit; temporibus intermediis liberis, genio regnante febribus his favente, causa quacumque sufficiente praegressa aut adhuc perstante, urinis multum tinctis cum sedimento lateritio. Æstus et horror nec non sudor non solemnes esse solent. Hic dolor bene distinguendus est ab hemicrania suo loco descripta.

2) *Dolorem capitis ex toxicatione.*

Difficillimum esset negotium, ignota causa, hunc dolorem distinguere ab aliis saepe simillimis, praeprimis si venenum parca manu et protracto tempore fuerit ingestum, sive absorptum.

a) *Cephalaea ex plumbo, etiam metallica dicta.*

Sistit dolorem prementem, gravativum, obtusum, pressione non augendum; sedem habet in occipite

ad nucham sese extendens: mens saepe soporosa observatur.

b) *Cephalaea ab hydrargyrio.*

Hujus metalli abusus quasi vivam barometram imponit hominis organismo, ita ut mutationes in aere frequenter doloribus capitis indicentur, qui nihilominus non silent saepe coelo sereno. Dignoscitur ex cognitione causae in primis in illis, qui mercurio occupati hujus veneni vaporibus exponuntur. Forma doloris multum variat.

c) *Cephalaea ex magisterio.*

Similes capitis dolores excitat magisterium bismuthi, tum ventriculo ingestum, tum sub forma cosmetici praeprimis foeminarum tenerae cuti impositum, quamquam invertit sanitatem et exulat pulchritudinem.

d) *Cephalaea ex abusu narcoticorum acrium.*

Sub forma medicaminum, saepe odoramentorum per nares inhauriunt venenum clandestinum, ex. gr. ex floribus recentibus, qui vasis reservantur in cubiculis. Dolor ex causa solum distinguitur.

3) *Dolorem capitis ex ventorum mala conditione.*

Sunt homines qui vento, dum flat ab austro, calido, simulque humido constanter capite laborant; quo silente, aut alio hujus locum tenente, evanescit ille capitis dolor. Magis ingrate adgreditur urbicu-

las, minus persequitur rusticos firmiorem ob corporis constitutionem. Celeberr. Sauvagesius imminutionem tensionis electricae in aere causam esse credit; suamque opinionem confirmatam putat electrisatione, qua illum dolorem cito sanari contendit. Imo narrant, incolas quarumdam urbium in regionibus tropicis talem ventum in altis fluentem ex longinquo jam arguere et praesagire.

4) *Dolorem capitis ex hypochondria et hysteria.*

a) Hemicranicus dolor unum alterumve latus capitis affligit; 7.° jam aetatis anno saepe evolvitur, frequentius tamen apparet aut disparet pubertatis tempore. Per 25 annos ab illo liber (testante cl. Tissot) omni dispositione absolvitur homo. Dolor hemicranicus insuper periodice plerumque decurrit, uti febris intermittens quotidiana et tertiana, qua de causa illum nonnulli *febrim larvatam* aut *topicam intermittentem* nominant. Ad solis ortum plerumque incipit, vehementius desaevit ad meridiem, sole vero declinante remittit aut desinit; inde etiam *morbus solaris* a quibusdam nuncupatur. Nonnunquam tamen vespertinis aut nocturnis horis cruciat homines. Annis climactericis ad majorem intensitatem et frequentiorum paroxysmorum repetitionem saepe increscit, senio progrediente regrediens, tandemque silens. Solent tales dolores subito exsurgere, nonnunquam praenuntiantur variis molestiis, vertigine, aversione pulveri tabaci nicotiani, etc. Non raro adeo insaeviunt, ut homines omnium

rerum incurii, cogitando impares statuae ad instar rigidi decumbant, nec minimum susurrum perferant, neque loqui, neque tangi in quadam corporis parte possint. Sensatio quidem ab initio est levis pressionis, frigoris aut aquae destillantis in loco affecto; transit in dolorem pulsantem, tendentem, pungentem, lacerantem; incipit saepe a palpebra, a radice nasi, aut alia parte; diffunditur per frontem, tempora usque ad occiput et nucham, ad alas nasi, ad labia et gingivas. Eminens dolor modo est in orbita oculum protrudere aut retrahere videtur, largam causans epiphoram, visus hebetudinem et scintillationem cum nasi ejusdem lateris obstipatione. Arteriae temporales et frontales tensae tanguntur, pulsus citati, ad finem paroxysmi tardiores. Alia etiam sunt symptomata in reliquo organismo morbosa, uti: frons friget et sudat, convelluntur musculi faciales, spasmus in extremitatibus, vomitus, cardiopalmus, etc. Dubium non exstat, causam proximam, ut in omni dolore, esse irritationem nervorum, in specie quinti paris et facialis. Dispositionem sustinet aetas tenera juvenilis, sensilitas major, educatio sedula et nimis anxia fuga potentiarum nocentium: hereditaria jura non minus locum hic sibi merentur; injuriae externae innumerae dantur, quae facile cum dispositione morbum evolvunt. Quod activitas morbosa uteri in sexu foeminco memoratu dignam ludat scenam, medicus quisque satis comperit.

b) Ejusmodi dolor, qui tantummodo spatium

circiter ovi unius occupat, inde nomen accepit et medicis *ovum* audit.

c) Si restringitur ad minorem adhuc locum intolerabilis dolor, ac si clavus intruderetur capiti, *clavus* vocari solet. Utrumque doloris genus ejusdem est originis et decursus cum hemicrania.

SECTIO SECUNDA.

Dolores capitis ex peccante systemate sanguifero.

1) *Dolores capitis ex plethora. Capiplenium Baglivii.*

Sensus gravedinis in capite notabilis, dolor tensivus, pulsans, pungens, flexione corporis, motu et excitantibus augendus; caloris augmentum, faciei rubor, qui deesse potest, si sanguinis torrens ad penetralia propellitur; oculorum splendor, lacrimarum calidissimarum fluxus, lucis impatientia, oxyecoia, difficultas cogitandi, reminiscendi, vertigo, somnolentia, deliria, venarum arteriarumque tumor, pulsus magnus, plenus, vehemens, quandoque suppressus. Disponunt ad ejusmodi dolores plethora ipsa, temperamentum sanguineum, aetas juvenilis, haemorrhagiae, omnia quae sanguinis copiam augere ejusque fluxum ad caput dirigere valent.

Habemus inde species:

a) *Dolorem capitis pulsatilem. Crotaphium.*

Sensatio molesta pulsationis in capite eminenter ad tempora, synchronice cum pulsu absque tumo-

re. Fortior fit pulsatio, ubi ad somnum se componit aeger; sed somnus negatur.

b) *Dolorem capitis ex haemorrhoidibus.*

a) Qui est gravativus, vertiginosus, cum idearum confusione, corporis torpore, alvi obstipatione, nunc mariscarum turgescentiam praecedit, nunc concomitatur et cum aliis affectionibus haemorrhoidalibus alternat.

b) Alius est atrox et saevus ex fluxus hujus suppressione, et frequenter vitae adfert periculum.

c) *Dolorem capitis ex menstruis irregularibus.*

Cum priori similes agnoscit rationes, at frequentior observatur.

d) *Dolorem capitis ex physconia*

Quae dum sanguini introitum et liberum circulum concedit, illum ad caput dirigere valet.

e) *Dolorem capitis ex graviditate*

Quem explicare fas est ex turbis circulationis mole uteri productis, quamquam et dolor nervosus inde originem saepe ducat. Dolor ex hoc fonte atrox esse, et frontem oculosque occupare solet.

2) *Dolores capitis ex cephalitide.*

Distinguimus cephalitidem internam et externam, acutam et chronicam: acuta sibi sola exposcit tractatum ad meram inflammationis theoriam perti-

nens. In encephalitide chronica dolor obtusus, intermittens; cum doloribus abdominalibus juncta est plerumque. Si molestare incipit infantes, morositatem, inquietudinem et frequentem manuum elevationem ad caput observare licet. Dolores externi percipiuntur modo ad tempora, modo ad verticem, occiput ad nucham usque tendentes, et super totum capillitium saepe diffusi. Qualem habeant sedem, si quis interroget, non haesitarem respondere: in altiori medulla cerebri, et quidem ex pia matre totam illam substantiam penetrante et nutriente substratum agnoscere hosce dolores. Si dolor fit superficialis et externus, merito accusare videntur pathologi duram meningem, quae per pericranium, per vasa sanguifera et nervos communicationem sustinet cum vasis nervisque partium externarum. Qua causam proximam indicare licebit secundum clar. Prof. Hildenbrand vitam arteriosam et plasticam in partibus denominatis citra modum exaltatam. Causas remotiores cum omni inflammatione easdem agnoscit, nonnisi sint leviores, dum sermo est de encephalitide chronica, quas enumerare locus non concedit.

3) *Dolores capitis ex febri.*

Quum nulla fere febris sine capitis dolore decurrat, ad essentialia symptomata eum pertinere credunt multi auctores.

Pro varia febris indole ipse varius est dolor, ex. gr. ardens in febri inflammatoria, terebrans aut

soporosus et premens, in basi cranii saeviens in febri putrida. In inflammatoria explicandus venit ex affluxu sanguinis nimis plastici; in putrida vero ex nisu sanguinis in resolutionem; praevalet quippe factor expansivus in gratiam factoris oppositi ad imum prostrati, unde tensio in nervis est intelligenda.

4) *Dolores capitis ab exanthemate.*

Concidunt illi dolores quidem cum febricomibus et inflammatoriis. Adnotandum tamen est, talem dolorem ex retrogresso aut pallescente exanthemate aut impetigine bene distinguendum esse. Nisi forma, tamen causa differentiam ponit. Veteres auctores jure hoc in casu assumunt praeter affluxum sanguinis auctum hujus acredinem abnormem, ita ut nervos quantitative et qualitative irritare valeat.

5) *Dolores capitis ex catarrho et rheumate.*

Priores sunt obtusi, prementes vel acuti, pungentes et tendentes, praecipue ad radicem nasi in osse frontis: accedunt et alia consueta symptomata catarrhi narium et oculorum; sedem suam semper servant in membrana mucosa, praeprimis narium et sinuum mucosorum in viciniis reconditorum, viis aeriferis non neglectis. Posteriores sunt pungentes, scindentes, remittentes et vagi, stimulorum lucis et soni impatientes, alternantes cum doloribus similibus in aliis corporis partibus. Substratum sibi eligunt membranas serosas et fibroso-serosas. Uterque

dolor plerumque ortum debet temperiei vicissitudinibus.

SECUNDUS ORDO.

Dolores capitis ex vita plastica abnormi.

Hujus ordinis dolores originem trahunt ex foco omnis vitae plasticae, ex viis quippe digestionis et primae assimilationis languentibus aut oppletis aut contaminatis per substantias, quae illuc non pertinent.

1) *Dolores capitis ex sordibus gastricis.*

a) Dolores capitis ex nimia ventriculi oppletione, nutrimentis corruptis, abusu spirituosorum. Dolor est frontalis, premens, pungens, fixus; vertigo cum gravedine, aestu fugaci, faciei rubore, praeter caetera symptomata gastrica.

b) Dolor capitis ex colluvie biliosa. In anteriore capitis parte haeret talis dolor ita atrox, ut ossa cranii dirumpere videatur; facile delirat aeger. Symptomata accedunt alia biliosa.

c) Dolores capitis ex pituita. Oriuntur ex nimia muci in primis viis accumulatione: dolor premens in occipite sedem fixam habet.

d) Dolores capitis ex vermibus intestinalibus. Ad tempora et ad nasi radicem prurientes molestare solent aegros. Diagnosis vero stabilitur summa symptomatum et verme ipso in lucem tracto.

In diversis his speciebus quomodo oriatur dolor capitis, facili negotio explicandum censeo ex nervo

vago, qui communicationem sustinet cerebrum inter et ventriculum.

Vel sint cibi indigestibiles, vel bilis, vel pituita, vel vermes, irritant hunc nervum, qui optimum conductorem exhibet ad centrum nervorum, ubi simile inducit pathema.

Rationem autem et formam doloris explicare nescimus.

2) *Dolores capitis ex arthritide*

Quorum signa characteristica sunt: dolor pungens, tensivus et atrox; aeger saepe sensationem percipit, ac si membranae aut chordae magna vi super cranium tenderentur. In arthritide retrograda dolor magis intus percipitur in uno vel altero capitis latere; totum saepe caput perscindere minatur. Frequenter sistit prodromum, saepe concomitans signum arthritidis cum fluxu et refluxu; tempore vernali, autumnali, praeprimis pluvio exasperatur; non raro alternat cum doloribus in articulis. Acredinem in sanguine causam eminentem esse videtur; multi aequilibrium turbatum putant inter membranas serosas et reliqua substrata, quo eminenter pertinent nervi.

3) *Dolores capitis ex scorbuto.*

Quidam auctores, inter quos etiam Sauvages, derivant huncce dolorem ex acrimoniis. Nobis praeplacet theoria aliorum, qui dolorem in scorbutico organismo ex resolutione et liquatione totius mate-

riae plasticae ortum esse contendunt. Est dolor premens, terebrans, rodens, noctu augendus, associatus aliis signis scorbuticis.

4) *Dolores capitis ex lue syphilitica.*

Fixus plerumque hujus generis dolor in ossibus rodens, noctu praecipue saeviens, die saepe disparens, non raro intumescentia ossis frontis, premens est, dum ad intus vertitur, et discrimine plenus. Cum alienatione plurium substratorum organismi cohaeret ejus aetiologia.

5) *Dolores capitis ex rhachitide et scrophulis.*

Prior ex emollitione ossium cranii et spinae dorsalis explicandus; posterior vero ex labe scrophulosa universali, in specie ex induratione glandularum lymphaticarum et obstructione, qua fit, ut sanguinis impediatur circulus, nervi per vasa impleta premantur, quo qualitativa miscelae mutatio suum confert, ortum ducens, modo cum torpore, modo cum stimuli impatientia incedit, et permultas exhibet formas. Inter dolores primae et secundae classis fluctuant.

6) Illi ex *scirrho* et *carcinomate*, qui insanabiles et immanes ex letho hauriunt lenimen.

II. Classis.

Dolores capitis ex vitiis organicis.

Saepe periculosi sunt hujus classis dolores. Ejusmodi vitia dispescuntur in *interna*, quae vix unquam medelam et ad sanitatem reductionem admittunt; atque *externa*, quae non adeo vehementem causant dolorem, et non raro arti medicae cedunt. Huc numerant pathologi:

1) *Dolores capitis ab excrescentiis*, ex. gr. polypis, exostosibus, tumoribus cysticis, induratione cujusdam partis in encephalo. Quo numerantur aneurismata et varices.

2) *Dolores capitis ex encephalo-pyosi.*

Si pyosis obtingit intra cranium, dolor esse dicitur profundus, pressivus, gravans, fixus, augendus si aeger incumbit lateri non affecto; sopor non rarus et alia symptomata ex pressione in encephalon. Si pus accumulatur ab extus, dolor etiam externus, tendens, pulsans cum tumore elastico, fluctuans, pressione augendus. Quod pus, qua corpus ab organismo alienum, morbosam, et saepe lethalem sensationem producere valeat, cuique sat clarum erit. Inflammatio praegressa optimum momentum diagnosticum sistit.

3) *Dolores capitis ex sero collecto* in ventriculis cerebri, et basi cranii, nec non in capitis superficie externa in hydropicis. Dolor ab hydrope interno est obtusus cum sopore et mentis stupore jun-

ctus, animi deliquio, delirio aliisque hydroencephali symptomatibus ex pressione encephali ortis.

4) *Dolores capitis ex sanguine extravasato in cerebro*, cujus generis dolores ad apoplexiam sunt religandi.

5) Sunt qui *vermes* in encephalo suspicantur; inventi quidem in cerebri substantia nondum sunt vermes, quod omnino negat cl. Morgagni. Concedendum est, animalcula per nares in sinus frontales irrepere posse, quae dolorem prurientem, pertinacem et rependo rodendoque inflammationem causant. Cujuscumque sint generis enumerati dolores ex rationibus organicis vitiatis, optima signa diagnostica sunt: diuturnitas doloris, nil proficientibus artis auxiliis, et absentia signorum, quae ad alium eos referunt fontem.

6) Dolores capitis demum ex *vulneribus capitis* memoratu dignum claudunt acmen, quos tamen chirurgis committere solent aegroti.

Prognostica quaedam.

Praesagium dependet a subjecti conditione, causa, constitutione epidemica, a dolorum vehementia, typo, atque complicationibus. Ubi dolores ad primam pertinent classim et ordinem, plus sperare licet a natura et arte, quam in classe altera. Certiorem et feliciorem admittunt curam dolores ex vasorum affectione morbosa, quam si nervi sistunt substratum morbosum. Capitis vasorum depletione, sanguinem derivando, exanthema revocando, etc.

dolores evanescunt. At his casibus summum in mora periculum, ne apoplexia moriatur aeger. In doloribus ex nervis affectis haud multa divinare valet ratio! plerumque nonnisi infaustum timet exitum. Ex vita plastica peccante dolores vix, perstante labe universali, fugari solent. Ex vitiis autem organicis ob causam non abigendam, vix unquam ab arte auxilium erit sperandum. Æger fere semper malo soccumbat, necesse est. Ex dolore interno timendam esse, testatur cl. Burserius, caecitatem, nervorum distentionem, aut rigorem, insaniam, phrenitidem, epilepsiam, memoriae jacturam, sphacelismum et mortem.

Quaedam therapeutica.

Consultum quidem esset totam exponere curam tanti pathematis; attamen cum locus mihi non concedatur his pagellis, atque quum tota expositio doloris capitis proteiformis in hoc opusculo sit generalis, indulgens lector sit contentus cum solis indicantibus momentis et in genere indicatis. Omnis therapia dispescitur in directam et indirectam. Prior exposcit, ut amoveamus causam excitantem, quae raro perstat in dolore capitis ex nervis mali affectis. Ergo in therapia indirecta dolor requirit, ut sensibilitatem nervorum nimiam compescamus, totumque organismum ita instituamus, ut influxibus nocivis magis resistat; quo conducunt stimulantia diffusibilia, sic dicta nervina, tonica, roborantia, nec minus acida; scopo revellente etiam emetica, pur-

gantia drastica, vesicantia et rubefacientia cum apto regimine diaetetico. Summum vero valorem, specifice quasi agens, sibi comparavit cortex chinae praecipue in dolore capitis periodico, si larvam tenet febris intermittentis.

Longe aliam curam exposcunt dolores capitis ex sanguinis aliorumque humorum abundantia in encephalo.

Summe necessaria et utilissima habentur sanguinem evacuantia per venaesectionem, nonnunquam arteriotomiam, per cucurbitas cruentas, per hirudines; revellentia per epithemata frigida ad caput, pediluvia acria, rubefacientia ad nucham, ad suras praeter reliquum apparatum antiphlogisticum. Ex seri collectione in ventriculis cerebri, aut in peripheria externa orto dolore capitis, praeter revellentia nominata summatim medicis practicis prae omnibus placent cathartica, hydragoga, vesicantia, scarificationes, diuretica et diaphoretica; sed prudens semper sit electio, ne momenta contraindicantia unquam negligantur.

Ex vita plastica abnormi, qui originem habent, capitis dolores plerumque evanescunt sublata causa morbifica. Saburra evacuetur, bilis diluatur, vermes anthelminticis abigantur. Hoc casu valet illa conclusio: = cessante causa, cessat effectus. = Dolor ex labe arthritica antiarthriticis, ex syphilitica antisyphiliticis, ex scorbutica antiscorbuticis cedere consuevit. Doloribus vero secundae classis ex vitiis organicis, quae manui chirurgicae non sunt aperta,

vix medelam, nisi a morte expectare licet. Pro momento quidem medicus afferre valet narcoticis levamen, sed larga manu, ne irritent, exhibeantur illa. Plethora, congestiones ad caput et omnis status irritationis interdicunt eorum usum. Vulnera capitis aut laesiones continui, relinquo chirurgis.

THESES

1. Animi pathemata, *deprimentia* vocata, saepe phlogisticos morbos producunt.
2. Falsum quod emollitio acutarum, induratio chronicarum inflammationum exitus sit.
3. Morbi nervosi sine organica laesione concipi nequeunt.
4. Sanae logicae respondet quod varium medicum systema in quavis natione vigeat.
5. Cosmetica remedia omnia uti periculo referta vel saltem inutilia haberi debent.
6. Usus pulveris nicotianae, qua odoramentum, medico non convenit.